



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Tertium

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

Vtrum magnificentia sit virtus specialis? 2

urn:nbn:de:hbz:466:1-38803

femel sunt, vt nuptiæ, vel aliquid aliud huiusmodi, vel etiam ea quæ permanentia sunt. Sicut ad magnificum pertinet præparare convenientem habitationem, vt dicitur in 4. Ethic.

Ad quartum dicendum, quod sicut dicit Philof. in 6. Ethic. * Oportet artis esse quamdam virtutem, scilicet moralem, per quam scilicet appetitus inclinatur ad rectè vtendum ratione artis. Et hoc pertinet ad magnificentiam. Vnde non est ars, sed virtus.

ARTIC. II.

Virum magnificentia sit specialis virtus?

663

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod magnificentia non sit specialis virtus. Ad magnificentiam enim videtur pertinere, facere aliquid magnum. Sed facere aliquid magnum potest conuenire cuiuslibet virtuti, si sit magna: sicut qui habet magnam virtutem temperantiæ, facit magnum temperantiæ opus. Ergo magnificentia non est aliqua specialis virtus, sed significat statum perfectum cuiuslibet virtutis.

¶ 2 Præterea, Eiusdem videtur esse aliquid facere, & tendere in illud. Sed tendere in aliquid magnum, pertinet ad magnanimitatem, vt supra dictum est *. Ergo & facere aliquid magnum, pertinet ad magnanimitatem. Non ergo magnificentia est virtus distincta à magnanimitate.

¶ 3 Præterea, Magnificentia videtur pertinere ad sanctitatem. Dicitur enim Exod. 15. Magnificus in sanctitate. Et in Psal. 95. Sanctitas, & magnificentia in sanctificatione eius. Sed sanctitas est idem religioni, vt supra habitum est *. Ergo magnificentia videtur idem esse religioni. Non ergo est virtus specialis ab alijs distincta.

SED contra est, quod Philof. * connumerat eam alijs virtutibus specialibus.

RESPONDEO dicendum, quod ad magnificentiam pertinet facere aliquid magnum, sicut ex ipso nomine apparet. Facere autem dupliciter potest accipi. Vno modo, propriè. Alio modo communiter. Propriè

autem facere dicitur operari aliquid in exteriori materia, sicut facere domum, vel aliquid aliud huiusmodi. Communiter autem dicitur facere pro quacunque actione: siue transeat in exteriorem materiam, siue maneat in ipso agente, sicut intelligere, & velle. Si ergo magnificentia accipitur secundum quod factorem alicuius magni importat, prout factio proprie dicitur: sic magnificentia est specialis virtus. Opus enim factibile producit ab arte. In cuius quidem usu potest attendi una specialis ratio bonitatis, quod ipsum opus factum per artem est magnum, scilicet in quantitate, pretiositate, vel dignitate: quod facit magnificentia. Et secundum hoc magnificentia est specialis virtus. Si verò nomen magnificentie accipitur ab eo, quod est facere magnum, secundum quod facere communiter sumitur: sic magnificentia non est specialis virtus.

Ad primum ergo dicendum, quod ad quamlibet virtutem perfectam pertinet magnum facere in suo genere, secundum quod facere communiter sumitur, non autem secundum quod sumitur proprie: sed hoc est proprium magnificentie.

Ad secundum dicendum, quod ad magnanimitatem pertinet non solum tendere in magnum, sed etiam in omnibus virtutibus magnum operari, vel faciendum, vel qualitercumque agendo: ut dicitur in 4. Ethicorum. Ita tamen quod magnanimitas circa hoc respicit solum rationem magni. Aliæ autem virtutes, quæ sunt perfectæ, magnum operantur, non principaliter dirigunt intentionem suam ad magnum, sed ad id quod est proprium unicuique virtuti. Magnitudo autem consequitur ex quantitate virtutis.

Ad magnificentiam verò pertinet, non solum facere magnum, secundum quod facere proprie sumitur, sed etiam ad magnum faciendum tendere animo. Vnde Tullius dicit * in sua Rhetorica, quod magnificentia est rerum magnarum, & excellentiarum cum animi quadam ampla, & splendida propositione cogitatio.

* 6. 2. 5.

1. 2. de 7.
uen in f.
3. ante f.
lib.

tio atque administratio: vt cogitatio referatur ad interiorem intentionem, administratio autem ad exteriorem executionem. Vnde oportet quòd sicut magnanimitas intendit aliquod magnum in omni materia, ita & magnificentia in aliquo opere factibili.

Ad tertium dicendum, quòd magnificentia intendit opus magnum facere. Opera autem ab hominibus facta, ad aliquem finem ordinantur. Nullus autem finis humanorum operum est adeo magnus, sicut honor Dei. Et ideò magnificentia præcipuè magnum opus facit in ordine ad honorem Dei. Vnde Philosoph. dicit in 4. Ethi. * quòd honorabiles sumptus sunt maxime qui pertinent ad diuina sacrificia. Et circa hos maxime studet magnificus. Et ideò magnificentia coniungitur sanctitati: quia præcipuè eius effectus ad religionem siue ad sanctitatem ordinatur.

ARTIC. III.

Vtrum materia magnificentia sint sumptus magni?

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quòd materia magnificentia non sint sumptus magni. Circa eandem enim materiam non sunt duæ virtutes. Sed circa sumptus est liberalitas, vt supra habitum est *. Ergo magnificentia non est circa sumptus.

¶ 2 Præterea, Omnis magnificus est liberalis, vt dicitur in 4. Ethic. Sed liberalitas est magis circa dona, quam circa sumptus. Ergo etiam magnificentia nõ præcipuè est circa sumptus, sed magis circa dona.

¶ 3 Præterea, Ad magnificentiam pertinet aliquod opus exterius facere. Non autem quibuslibet sumptibus fit aliquod exterius opus, etiam si sint sumptus magni: puta, cum aliquis multa expendit in xenijs mittendis. Ergo sumptus non sunt propria materia magnificentia.

¶ 4 Præterea, Magnos sumptus non possunt facere nisi diuites. Sed omnes virtutes possunt habere etiam pauperes; quia virtutes non ex necessitate indigent exteriori fortuna, sed sibi ipsis sufficiunt, vt Seneca dicit in lib. de ira. Ergo magnificentia non

H 3

est

* c. 2. p. 211
lib. ante
med. t. 5.
664
inf. 1. 152
ar. 3. co.
9. 9. 160
art. 1. co.
Et 12. q.
60. ar. 5.
cor. co. 2.
Et 3. dif.
34. q. 1.
a. 2. co. 3.
9. 4. d. 7
9. 2. a. 2.
9. 2. co. et
di. 17. q.
3. a. 2. 4.
3. co. 9.
dif. 33. q.
3. art. 2.
cor. Et 4.
Eth. le. 6.
co. 2.
* q. 117.
ar. 2.
† l. 4. c. 2.
parū post
prin. 5. 5.